



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||  
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

VII. De Purificatione B. Virg.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)

DE PURIFI-  
CATIONE B. VIR-  
GINIS.  
ET PRAESENTA-  
TIONE CHRISTI  
IN TEMPO.

MEDITATIO VII.  
EVANGELIUM.

*Luc. 2.*

**P**OST QUAM impleti sunt  
dies purgationis MARIAE  
secundum legem Moyfi, tu-  
lerunt illum in Hierusalem, ut  
sisterent eum Domino, sicut scri-  
ptum est in lege Domini. Quia o-  
mne masculinum adaperiēs vul-  
uam, sanctum Domino vocabi-  
tur, & ut darent hostiam, secundū  
quod dictum est in lege Domini,  
par turturum, aut duos pullos co-  
lubarum. Et ecce homo erat in  
Hierusalem, cui nomen Simeon,  
& ho-

& homo iste iustus & timoratus,  
expectans cōsolationem Israhel,  
& Spiritus sanctus erat in eo. Et  
responsum acceperat à Spiritu  
sancto, non visurum se mortem,  
nisi prius videret Christum Do-  
mini. Et venit in Spiritu in tem-  
plum. Et cum inducerent puerū  
IESVM parentes eius, vt facerent  
secundum consuetudinem legis  
pro eo, & ipse accepit eum in vl-  
nas suas, & benedixit Deum, &  
dixit, Nunc dimittis seruum tuū  
Domine, secundum verbum tuū  
in pace. Quia viderunt oculi mei  
salutare tuum. Quod parasti ante  
faciem omnium populorum. Lu-  
men ad reuelationem gentium,  
& gloriam plebis tuæ Israhel. Et  
erat pater eius & mater mirantes  
super his quæ dicebantur de illo.  
Et benedixit illis Simeon, & di-  
xit ad M A R I A M matrem eius.  
Ecce positus est hic in ruinam, &  
in resurrectionem multorum in  
Israhel, & in signum cui contra-  
dicetur: & tuam ipsius animam  
per-

per-

pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phaniel, de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua erat vsq; ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israhel.

## F I G V R A E.

Exo 29.

Num. 28.

I. **M**ANDAVIT Deus in lege sibi offerri quotidie duos agnos immaculatos, vnum mane, alterum ad vesperam, ad præfigurandum duas oblationes à CHRISTO verò & immaculato agno Patri caelesti offerendas. Altera in initio vite, hoc die, in sua præsentatione, altera in fine, in ara crucis pro generis humani redemptione.

2. An-

2. Anna mater Samuelis ante ste-1, Reg. 1.  
 rilis, impetratum precibus à Deo fi-  
 lium obtulit in domo Domini dedi-  
 cando illum ministerio Domini, &  
 simul vitulum in sacrificium offe-  
 rendo.

PROPHETIAE.

**S**ACRIFICIUM & oblationem nolui. Psal. 39.  
 sti, aures autem perfecisti mihi. Holo-  
 caustum & pro peccato non postulasti: tunc  
 dixi, ecce venio.

2. Veniet desideratus cunctis gentibus, Agg. 2.  
 & implebo domum istam gloria.

3. Statim veniet ad templum sanctum Mal. 2.  
 suum dominator, quem vos queritis, &  
 angelus testamenti, quem vos vultis.

4. Suscepimus Deus misericordiam tuã Psal. 47.  
 in medio templi tui.

5. Notum fecit Dominus salutare suum, P sal. 97.  
 ante conspectum gentium revelavit iusti-  
 tiam suam.

CONSIDERATIONES.

**L**AETARE filia Sion, Hierusa-  
 salem gaudium tuum omnibus  
 populis annuncia. Exultate portæ &  
 muri

muri templi sacri, & suscipite Dominum & Deum vestrum, qui hodie aduenit ad offerendum se in commune pro salute omnium. Hodie fructus terræ sublimis oblatus est creatori. Hodie sacrificium matutinum, hostia pacifica delata est à parentibus, & virgineis MARIAE manibus in templo oblata, & à sanctis illis senibus Simeone & Anna suscepta. Aperi Hierusalem, ciuitas magni Regis portas tuas illi, qui omnibus aperuit portas cœli, qui in cruce aperuit portas sepulchrorum, & dirupit potentia sua portas inferni. Hodie DEVS ille, qui Moyse legem dederat in monte Sinai, legem suæ ipsius legi subiectus, adimpleuit. Hodie cœlestis sponsus simul cum suo nuptiali thalamo templum ingreditur, Dominus ipsius templi. Egredimini filiæ Hierusalem, & lucernis accensis alacriter occurrite veræ luci, coniungite voces vestras cum choris angelicis, & omnes simul eius laudes decantate: nam omnes fines terræ pleni sunt eius bonitate, omnes creaturæ tam cœlestes quam terrestres & infernales, sunt plenæ eius misericordia, donis & beneficijs, Itaque omnes

omnes gentes cum gaudio eum recipiunt; omnis terra eum adorat, omnis lingua confitetur & glorificat hunc Deum infantulum, natum quidem à matre ante dies tantum quadraginta, sed à Patre genitum ante omnia sæcula. Infans est nutritus lacte, sed dans cibum & alimentum omni creaturæ. Infans, qui quasi infirmus patitur & plorat, sed toti mûndo vitam & lætitiã impertiens. Infans obuolutus & ligatus fasciis, sed nos omnes à peccatorum vinculis exoluens. Infans in terra matris deportatus manibus, sed in cælo requiescens in sinu Patris. Offerit secundum legem in templo sacrificium, & eidem in cælo omnia offeruntur sacrificia. Ipse est donum. Est Pontifex, est altare & propitiatorium. Est is qui offert, & simul est is qui pro omnibus offertur, & is qui recipit oblationem & sacrificium. Quare omnis status, omnis sexus, & omnis ætas exultat & gestic in cælestis huius infantis oblatione tot mysteriorum plena. Virgines quidem, quia Virgo permanens Virgo eum genuit. Viduæ, quia Anna vidua meruit eum videre, & alijs quoque annunciare.

Coniugatæ exultant, quia fuit reuelata Elisabethæ, quæ & de eo needū nato prophetavit. Exiliunt quoque infantes, quia Christus infans, suę infantiaę primitias templo cōsecrauit. Denique & senes, quoniam Simeon senex illam gratiam à Spiritu sancto impetrauit, vt non ante ex hac vita excederet, quam CHRISTVM Dominum, veram vitam, conspexisset.

2. CONSIDERA, quomodo Virgo, postquam diuino partu suo d tasset & consecrasset presepe Bethlehemiticum, elapsis quadraginta diebus, quibus per legem non erat fas ingredi templum, abscedat, & cum puero IESV se conferat Hierosolymam, vt cum velut agnū immaculatum eterno Patri in sacrificiū matutinum pro generis humani liberatione offerret. Vbi obserua duas fuisse leges de muliere pariente. Altera erat, vt si gigneret masculum septem diebus quasi immunda separaretur à consortio hominum: quibus finitis, hoc est, die octauo circumcideretur infans, & ipsa triginta tres alios dies domi remaneret, nec foras ante exiret, aut templum intraret, quam

Leu. 12.



quam tota esset purificata. Quibus diebus expletis cum filio adibat templum oblatura sacrificium pro se & filio. Altera lex erat speciatim de primogenitis, quæ Dominus ( inde ab *Exo. 13.* eo tempore quo sustulit omnia primogenita Aegypti, sola autem primogenita populi Israhel seruauit) sibi voluit offerri & consecrari, sicut & omnium aliorum fructuum primitias sibi offerri voluit. His ergo legibus & præceptis voluit filius Dei natus ex muliere esse subiectus, easque in se & Matre sua sanctissima perfectè adimpleri. Non erat satis verò humilitatis Magistro (quamuis omnino esset æqualis Patri) se humili virgunculæ submittere, sed voluit quoque, vt nobis exemplum daret submittere se legibus illis, quibus alioquin soli peccatores & serui erant subiecti. Hic vide, quomodo Saluator noster semper magis magisque proficiat in obedientia, humilitate & charitate. In obedientia, quia vt ante in circumcisione, sic nunc in sua redemptione se subiecit præcepto legis. In humilitate, quia primò in natiuitate se demonstrauit pauperē, post in circumcisione

assumpsit symbolum hominis peccatoris, nunc autem se præsentat, & offert quinque denarios pro sua redemptione, quare declarat se non solum pauperem & peccatorem, verum etiam seruum, habentem opus redemptione. Demonstrat denique suam caritatem, quia cum diues esset, voluit fieri pauper, ad ditandam nostram paupertatem, & cum esset innocens & immaculatus, pro nostrorum peccatorum remedio, assumpsit formam peccatoris; cumq; esset liber, velut verus filius, hæresque legitimus in domo Patris sui, causa nostra suscepit formam serui, vt nos vindicaret liberaretque è Tyranni infernalis faucibus, & in veram filiorum Dei libertatem assereret.

3. CONSIDERA nec sanctissimam quidem Virginem huic legi mulierum immundarum fuisse astrictam, eo quod (vt Spiritus sanctus eius sponsus eam appellat) fuerit tota pulchra, & pura ab omni peccati macula. Et cur abstinere à templi ingressu debebat illa cuius venter intactus factus erat templum Spiritus S. ? quare non intrabit templum illa, quæ genuit templi Dominum? Verè ô virgo

*Cant. 4.*

B. VIRGINE. 199

go beatissima, nulla causa fuit, cur  
hac purificatione egeres, ac primo  
quidem nulla fuit respectu tui, quia  
tota purissima, tota mundissima fui-  
sti, quia Spiritus sanctus superueniēs  
in te mentem tuam purificauit; &  
CHRISTVS assumendo de te carnē,  
purificauit & sanctificauit vterum  
tuum. Secundo nec necessaria fuit  
purificatio ratione partus, in quo ne  
fingi quidem potest vlla impuritas:  
CHRISTVS enim est ipsa sanctitas,  
est candor æternæ lucis, speculum si-  
ne macula, omnisque puritatis fons *Sap. 7.*  
qui venit ad expurganda omnia mū- *Heb. 1.*  
di peccata. Tertio nec fuit necessaria  
ratione legis, quæ supposebat con-  
ceptionem mulieribus communem,  
sed tu nō ex viri commercio, sed di-  
uinitus supra omnem legem & na-  
turam concepisti, includendo homi-  
nem visceribus, sed intactis, sicut di-  
xit Propheta, *Novum faciet Dominus Ier. 31.*  
*super terram, femina circumdabit virum.*  
Non erat igitur M A R I A hac lege  
comprehensa, sicut nec circumcisio-  
nis lege comprehensus erat filius;  
voluit tamen prudentissima virgo  
multis de causis obseruare illam. Ac  
primò quidem, vt se ipsi filio suo

conformaret, qui factus sub lege, nō venerat soluere, sed adimplere legem. Vnde sicut ille, licet opus non haberet, voluit circuncidi: Sic illa, vti vera humilitatis filij imitatrix, licet immunis à macula voluit teneri lege Purificationis. Secundo, vt exemplum obedientiæ daret, parendo maiorum institutis & decretis. Tertio, ne Iudæis (quos cōceptionis, virginæq; puritatis eius mysterium latebat) occasionem aliquam præberet, vel scandali vel obmurmurationis, quasi esset legis præuaricatrix. Quarto, vt hac CHRISTI filij sui oblatione (qui nostra est purificatio) veteris legis præcepto finem imponeret, Denique vt nobis exemplum obedientiæ & humilitatis relinquere, vt ipsa quoq; , ceu virtutum Magistra, quod verbo, vti mulier, non poterat, saltem doceret exemplo.

4. CONSIDERA quomodo B. Virgo in eo itinere conficiendo vsa fuerit comite dilecto sponso suo Iosepho, imo comitibus multis angelorum choris, qui & illi, velut Domine sue, & domino ipsi, in brachijs illius gestato iucundum & honorificum comitatum præbebant. Vide

quan-

quanto maiori lætitia & festinatione  
 adierit sacrum templum, & domum  
 Dei, quam domum Zacharię: & quā-  
 to nobilius fuerit donū ab ea gestatū  
 ad offerendum, Deoq; longe gratius  
 & acceptius, quā fuerint dona Abel,  
 & sacrificium Abrahę; hæc enim e-  
 rant vmbrae & figurę, sed illud fuit  
 ipsa veritas, hæc erant creaturę, at il-  
 lud, ipse creator. Eia anima mea se-  
 quere deuotis passibus in hoc itinere  
 præcedentē Mariam, perpende qua  
 modestia & honestate progrediatur,  
 qua reuerentia pretiosum illū cordis  
 sui thesaurū, filium suum, & Deum  
 suū deportet, & virgineo pectore suo  
 astringat, qua deuotione templū, be-  
 nedictum ventris sui fructū in bra-  
 chijs gestando, ingrediatur. O quam  
 pulchrū & iucundum fuit hoc spe-  
 ctaculū, tam filij, qui gestabatur, quā  
 matris, quę eum gestabat, cuius præ-  
 sentia angelos recreabat, & totū tem-  
 plum exornabat. Tunc ingresso verò  
 Salomone, & Domino templi in suū  
 ipsius templum impletum est quod  
 prædixit propheta. Maiorem gloriā  
 fore huius domus, quam primæ à  
 Salomone fabricatæ. Tunc quando  
 hæc viua, & vera testamenti arca (in

Agg. 2.

qua reconditi erant omnes thesauri  
 æternæ sapientiæ & scientiæ) mani-  
 bus Virginis introducta est in suum  
 sanctuarium, alia festa, cantus, & iu-  
 bilationes vidisses & audisses cele-  
 brari in cælis, quam visæ vel auditæ  
 sint in terris, quâdo Salomon intro-  
 duxit & collocavit arcam sub Che-  
 rubinorum alis.

3. Reg 8.

5. *ET ecce homo erat in Hierusalem,*  
*cui nomen Simeon, & homo iste iustus &*  
*timoratus expectans consolationem Isra-*  
*hel, homo vere animi virilis ob ar-*  
*dens & constans humanæ redem-*  
*ptionis desiderium. Vnde & magna*  
*de causa vocatus est iustus, quia non*  
*tam optabat salutem suam, quam cõ-*  
*munem omnium, non tam quære-*  
*bat propriã, quam totius populi con-*  
*solationem. Desiderabat hic sanctus*  
*homo ex vna parte solui corporis*  
*vinculis; ex alia verò ingenti flagra-*  
*bat desiderio, vt ante suum ex hac*  
*vita discessum suis oculis mereretur*  
*videre CHRISTVM Dominum.*  
*Sciebat enim beatos esse oculos qui*  
*eum videre mererentur. Vnde &*  
*Spiritui sancto (qui seipsum negare*  
*non potest illis qui ex corde illum*  
*desiderant) placuit consolari illum,*  
 & cet.

& certum reddere de hac gratia. Quare & ipse multo ardentiori humanæ salutis zelo inflammatus continuis precibus, lachrymisque cœlesti Patri supplicabat, vt cito emittere vellet Saluatorem suum, & tandem finem imponere grauissimis malis, quibus magno suo dolore cernebat mundū redundare. Id postulabat, id expectabat, dieque & nocte suspirabat dicēs cum Propheta, *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* *Esa. 62.*

6. CONSIDERA, quomodo puerulus IESVS (dum manibus parentum induceretur in templum) memor sui serui & amici Simeonis, interna quadam inspiratione eum commonefecerit. Deinde, quanta celeritate & gaudio sanctus hic senex diuinius admonitus ad templum venerit. Cumque illi à Spiritu sancto patefactum fuerit, puerum illum, quem in brachijs matris viderat, esse CHRISTVM Domini, illum tantopore desideratum, & animæ suæ dilectum. cogita, quid ille facere, quid dicere potuerit, quando iam morti vicino occurrit vita, quando proprijs

13                      oculis.

oculis cernebat suum DEVM, creatorem & vniuersi Dominum factum hominem, illum Saluatorem à tot Prophetis prædictum, & ab omnibus veteribus sanctis tantoperè expectatum: quando virgo ipsa eius mater (cui optimè perspecta erat voluntas filij) illum ei obtulit, & in manibus eius deposuit. O benedictè IESV, ô dulcis amator hominum, quam es liberalis, imo prodigus tui apud eos qui te desiderant? Simeon tantum tenebatur desiderio videndi tui, sed tu præterea voluisti reponi in eius brachijs. Quos verò animi sensus putamus tunc extitisse in hoc sancto sene? quot amoris lachrymas ex beatis oculis fluxisse? quot laudibus, quanta gratiarum actione profectum fuisse illum, qui eum in tantum bonum conseruarat? O quanta deuotione brachia sua extendit ad recipiendum tantum thesaurum? quanta voluptate receptum est amplexus & exosculatus, nullam ex eius conspectu capiens satietatem. Considera deinde econtra, quomodo dulcis IESVS amator diligentium se suo amabili respectu, eius cor omnino liquefecerit diuina

na.



na & ineffabili consolatione. Vnde nihil mirum fuit, animam illam sanctam iam rerum creatarum fastidio affectam, post conspectum Creatorem, flagrasse desiderio ex hac vita discedendi, dum pronunciauit illud plenum affectu canticum. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quomodo enim poterat aliter dimitti, quam in pace ille, qui non modo oculis suis cernebat, sed etiam manibus suis tenebat ipsum Deum pacis & consolationis? Vidisses hic eum, qui per affectam ætatem vix poterat se commouere, facillimè suis brachijs gestasse & mouisse opificem ac gubernatorem totius vniuersi. Portabat eum, à quo portabatur; qui verbo virtutis suæ portabat & sustentabat omnia. Fœlix es Simeon, quod Spiritus sancti ductu in templum veneris, & duo magis illustria templa inueneris. In illo templo inuenisti vnã matrem & vnum filium, vtrumque Templum sanctum & viuum Domini. Beati tui oculi, de quibus bene dixit Spiritus sanctus; eos mortem non

visuros, quandoquidem meruerunt videre vitam. Et qua ratione ausa fuisset mors in eius oculos seingere, quos CHRISTVS sua viuifica visione consecrauit, si ipse Simeon id non desiderasset, & postulasset?

7.    I A M verò vt ne deesset vel sexus, vel status vllus, qui non redderet testimonium Saluatori in hoc primo suo in mundum ingressu, eadem ipsa hora præsto in templo adfuit illa sancta Vidua Anna, cui ob vitam religiosam, & accensum desiderium humanæ salutis, verisimile est, sicut non secus quã Simeon fuit donata spiritu prophetico, ita à Spiritu sancto illi reuelatum fuisse, eam ante mortem suam visuram Christum Dominum. Itaque diuina inspiratione certior facta illum esse præsentem, postquam cum incredibili lætitia humiliter eum adorasset, magnaque sua consolatione etiã brachijs excepisset, cepit eius laudes prædicare omnibus expectantibus & desiderantibus redemptionem Israhel. Mulier verè hoc dono priuilegioq; videndi filium Dei in carne, digna. Erat enim assidua in templo Dei, castitatem colebat, continuis ieiunijs  
car-

carnem suam macerabat, & in oratione perseverabat. Talibus cōmunicat Deus suum spiritū, & celestibus consolationibus dignos reddit. Hic perpende quanta fuerit voluptas Virgini, cum summo cordis iubilo cōiuncta, videre, tantam accessionem in dies fieri ad gloriam filij. Verum heu mater beatissima, hoc tuum gaudiū mox insperato dolore & afflictione fuit imminutum: nam cum Simeon inciperet vaticinari de CHRISTI passione, & persecutionibus quas in vita esset perpassurus, addidit, dolore de Christo tuam quoque sanctam animā velut gladio acutissimo transfigendam. Fuit hic acerbus nuncius tibi, ô clemētissima mater, calix tam amarus, vt deinceps vsque ad vitæ finem nunquam vlla ex re verum gaudium capessere potueris. O Simeon tantam voluptatem tibi attulit conspectus Saluatoris, tantaque consolatione perfudisti eius matrem: cur ergo nūc clarissimas cordis eius aquas turbas, & consolationum eius mel misces tā amari nuncij felle? O quantum solatij hic dies illi attulisset, si certior reddita non fuisset de istis ærumnis per omnem vitam tolerandis?

dis? Verum æterna sapientia, Vni-  
 genitus filius Dei, sicut à primo con-  
 ceptionis suæ tempore cæpit pro no-  
 bis ferre crucem, ita Matrem quoque  
 suam, tum ad augendum eius meri-  
 tum & coronam, tum vt ipsi esset si-  
 milior, participem esse voluit fru-  
 ctuum crucis. Etenim tam gloriosa  
 res est, pati; tam pretiosæ sunt tribu-  
 lationes & aduersitates, vt Deus vo-  
 luerit Matrem suam, vti erat ipsi o-  
 mnibus alijs creaturis carior, ita et-  
 iam plus alijs omnibus creaturis pa-  
 ti, omniq; doloris acerbitate affli-  
 gi. Quantum ergo halucinantur,  
 quantum seipso decipiunt, qui affli-  
 ctiones execrantur; omnesq; huius-  
 vitæ labores, molestias & cruces de-  
 fugiunt, & in sectanda quiete, & per-  
 fruendis voluptatibus suam collo-  
 cant fælicitatem.

3. CONTEMPLARE deinde  
 anima mea deuotissimam processio-  
 nem ab his sanctis personis institu-  
 tam. Et primo vide, quanto gaudio  
 & exultatione venerabiles illi duo  
 senes Iosephus & Simeon antecesserint,  
 cum Propheta cantantes. *Suscipimus  
 Deus misericordiam tuam in me-  
 dio templi tui. Proxime sequebatur*  
 Vir-

*Psal. 47.*

Virgo Mater gestans in brachijs cum  
 incredibili gaudio benedictum ven-  
 tris sui fructum ; in cuius comita-  
 tu magna reuerentia procedebat illa  
 sancta Vidua Anna, summa cum læ-  
 titia laudans & benedicens Domi-  
 num. Ad altare, vt peruentum est,  
 vide quomodo B. Virgo flexis ma-  
 gna deuotione humi genibus, & ocu-  
 lis in cælum sublatis, Patri eterno ob-  
 tulerit pretiosum illud donum, quo  
 nobilius gratiusque à condito orbe  
 non fuerat oblatum: obtulerit, in-  
 quam pro totius generis humani re-  
 conciliatione, illam oblationem no-  
 uam, illam hostiam sanctam, & tan-  
 topere Deo gratam, de qua ipse Deus  
 dixit. *Hic est filius meus dilectus, in Matt. 3.  
 quo mihi bene complacui.* Ex alia par-  
 te considera, quomodo ipse pueru-  
 lus IESVS se ipse in tenella æta-  
 te pro nobis obtulerit Patri in sa-  
 crificium matutinum, donec sacrifi-  
 cij vespertini postea in ara crucis de-  
 nouo offerendi tēpus aduenisset. Tūc  
 impletum est, quod propheta olim in  
 persona ipsius Filij Dei dixerat, *Ho-  
 locaustū, & pro peccato non postulasti, tunc Psal. 39.  
 dixi, Ecce venio: nam cum veteris legis  
 sacrificia nō valerent ad expiandum  
 pec-*

peccatum, venit hodie magnus ille Angelus testamenti ad templū sanctū suum, ibique obtulit seipsum, hostiam immaculatam, infinitaque vi ad omnia mundi peccata expianda præditam. Denique & Virgo eius Mater, seipsam vna cum illa obtulit Patri, offerēs se ad omnes tribulationes, dolores & cruces tolerādas, quas causa filij per omnem vitam erat perpeffura. Quid verò minus facere poterat, quam cum tam cælesti dono etiam donare seipsam, si plena erat hoc ipso suo dono?

9. CONSIDERA denique quam exilem & pauperculam oblationem huic tam eximio dono B. Virgo coniunxerit. Nihil hic auri, nihil lapidum pretiosorum pro Rege cæli oblatum est, sed nec vituli pro eo oblatis sunt, vti Anna pro suo filio Samuele obtulerat, verum tantum par turturum, vel columbarum. Id quod admodum congruenter factum est, nam vt pro hominibus terrenis animalia terrestria oblata sunt, ita pro CHRISTO homine cælesti offerri debuerunt animalia volatilia & cælestia. Mandabat lex pro infante oblato in templo, offerri agnum in holocausto.

caustum, & turturem vel columbam pro expiatione peccati: qui vero per inopiam non poterant offerre agnū, ijs satis erat par turturum vel duos pullos columbarum offerre. Et hæc fuit oblatio Virginis, vti personæ pauperulæ Sed nec aliud decebat offerri ab illa simplici & innocente columba, à castissima illa turture virgine M A R I A, quam columbas vel turtures. Hæc quoque fuit benedicti filij eius I E S V voluntas; qui, vt in alijs rebus omnibus semper paupertatem professus est, sic in hoc quoque actu voluit fieri oblationē propriam pauperum, vt nos paupertate sua locupletaret, redderetque diuites in hac quidem vita in fide & gratia, in altera vero cælestiū opum hæredes. Quamquam si rectè omnia expendas, non defuit hic supra turtures & columbas, agnus Domino oblatus: quidem aliud fuit infantulus I E S V S, nisi agnus ille immaculatus, qui venerat, vt pro totius mundi peccatis offerretur? O mater sanctissima, magno quidem cum gaudio hodie offers filium tuum, sed veniet tempus, cum is qui hodie in brachijs Simeonis in templo oblatus est, cum tuo extremo dolore

non.

non in templo, sed extra ciuitatem offeratur in brachijs crucis. Hodie aliena oblatione redemptus est, tunc autem sanguine suo redimet alios. Hodie quinque siclis cum redimis, tibi que restituitur, tunc verò ipse quinque vulneribus redimet mundum, & tibi tolletur. Hoc est sacrificium matutinum, illud erit vespertinum. Hoc lætum & iucundum est, sed illud perfectius & vtrique vestrū acerbius. Quare vtrique sacrificio optimè competit, quod dixit Propheeta, *Oblatus est, quia ipse voluit*. Nam hodie oblatu s fuit, non quod ipse opus haberet, vel quod lege obligaretur, sed quia voluit. Sicut & postea oblatu s fuit in ligno crucis, non quod illud meruisset, vel quod Iudæi contra eum præualuissent, sed quia ita voluit pro nostra salute. O anima mea si te quoque cum vera deuotione offerres, & in manus resignares Domini illius, qui voluntariè se obtulit pro te, quantam experirè in te pacem, quanto gaudio, quanta consolatione perfunderè: dulcis enim I E S V S. tam bonus & liberalis est, vt etiam pro exiguis nostris oblationibus non norit aliud redde-  
re,

Isa. 35.



re, quam seipsum infiniti boni fontem & thesaurum.

## COLLOQVIUM.

**O** VIRGO sanctissima, o pura & innocens columba, que ipsos quoq; angelos puritate vincis, obsecro te per admirabilem illam obedientiam & humilitatem, qua benedictus filius tuus, Dominus vniuersi, nulla lege obligatus, tanquam seruus in templo presentari, & tu mater eius immaculata, immundarum mulierum instar, voluisti purificari & sanctificari, velis & animæ meæ tantam impetrare puritatem, vt sit quasi Templum sanctum, quod ipse filius tuus ingredi & incolere dignetur. Et sicut ille tam clementer iusto Simeoni concessit potestatem non solum videndi, sed etiam gestandi in vlnis suis CHRISTI, sic mater suauissima mihi exores gratiã, vt antequã migrẽ ex hac vita, possim Saluatorem meum, & cordis oculis videre, & desiderij brachijs complecti ac tenere, & nunquam ab eo diuellì. Ac sicut ille per manus tuas se obtulit pro me, sic etiam per te velit pauperulam meam oblationem,  
hoc

hoc est duo paruula minuta, animā, scilicet & corpus meum acceptare, vt cum in hac vita totum me diuino eius seruitio dediderim, in altera merear in templo cælestis Hierusalem illi præsentari, vbi perfecte eum videam, eoque perfruar in æternum.

## DOCUMENTA.

1. **B. VIRGO** subiiciendo se Purificationis legi, non solum de opinione puritatis & sanctitatis nihil detraxit, sed eam potius hoc humilitatis actu illustrauit: exemplum omnibus religiosis & spiritualibus hominibus præbens, vt existiment consuetudine mortificandi & humiliandi se, nihil de eorum existimatione bona imminui, imò augeri potius, ipsasque virtutes his exercitijs conseruari.

2. **B. VIRGO** & Iosephus puerum **IESVM** detulerunt in templum Hierosolymitanum; vnde patres & matres capere possunt exemplum, suos filios Domino offerendi, & à primis annis pueritæ ad Ecclesias deducendi, vt audiant verbum Dei, & diuinis officijs intersint, vt legant libros pios, & in doctrina Christiana vir-

na virtutibus, bonisq̄ue moribus instruatur secundum illud consilium Ecclesiastici. Si filij tibi sunt, erudi illos, & incurua eos à pueritia eorum. At heu multi filios suos potius diabolo, quam Deo à primis annis offerunt, dum eos nimis indulgenter, & in summis delitijs educant, plenos vitijs & peruersis moribus. Vnde in parentibus verè adimpletur, quod scriptum est, Immolauerunt Psal. 103. filios & filias suas dæmonijs, & non Deo.

3. Sicut in hac oblatione in templo facta, Deoque tam grata, interfuerunt tres personæ, nempe Ioseph, *M A R I A*, & puer *I E S V S*, sic, si oblationem nostram, quam facimus de nobis ipsis velimus Deo gratam esse & acceptam, tria sunt nobis necessaria. Primò virilis constantia in bono proposito, & diuini cultus operibus. Secundò virginea puritas in nostra conuersatione. Tertiò simplicitas & puerilis humilitas in nostra conscientia, iudicando bene de omnibus, & reputando nos inferiores & minores omnibus.

4. *C H R I S T V S* Dominus noster non obiulit pro nobis in templo nec animalia, nec fruges terræ (sicut faciebant Iudæi) sed obiulit hostiam optimam & pre-

tio.

tiōssimam, quam habuit, hoc est seipsum, Deum & hominem; sic nos Deo non debemus offerre, aut deteriora, aut res exigui pretij, sed meliora & pretiosiora: non debemus seruire Deo tantum verbis, & ceremonijs externis, corde rebus terrenis affixo, sed totum debemus dedicare diuino seruitio, animam, corpus, vitam, cor, denique omnia nostra; Multo enim nobis vtilius est, si nos ipsos donemus Deo, à quo omne bonum nostrum, omnisque salus proficiscitur, quam ut demus nos mundo, & voluntati nostræ, quæ sunt causa ruinæ & perditionis nostræ.

5. B. Virgo oblationi CHRISTI filij sui in templo factæ adiunxit oblationem turturum vel columbarum. Turtur est avis casta & solitaria: columba verò est pacifica & sine felle, & viuit in societate aliarum; vt intelligant speciatim Sacerdotes, qui quotidie in sacris templis CHRISTVM offerunt, & cum ijs omnes alij qui communicando, spiritaliter eundem CHRISTVM æterno Patri pro expiandis suis peccatis offerunt, si velint oblationem suam à Deo acceptari in salutem, & non in condemnationem animarum suarum, eos debere familiares &

coni-

comites habere duas virtutes, & primo quidem mentis & corporis castitatem, abstinendo à conuersatione hominum periculosa. Deinde pacem & vnionem caritatis cum proximis.

6. Simeon, vt habet Euangelium, in spiritu ingressus est templum. Vnde discimus, Non debere quenquam vel coactum, vel ex consuetudine, vel questus, commodiue temporalis causa se mancipare diuino seruitio, sed ex mera deuotione, & inimo desiderio seruiendi Deo: Tales enim vna cum Simeone facile inueniunt MARIAM & IESUM, hoc est, spiritualem consolationem & eternam salutem.

7. Si Simeon tanta spiritali lætitia, deuotione & reuerentia puerum IESUM recepit in brachijs, quanto maiori deuotione, reuerentia, & spiritus feruore, cum eundem Dominum & Saluatorem recipimus in sacra Eucharistia, id prestare deberemus? quando quidem non iam brachijs, sed ore ipso eum excipimus, nec sustinemus manibus, sed in corporis viscera, animamque nostram eum demittimus.

8. Simeon accepit CHRISTVM in vlnas suas. Vnde docemur, per opera bona perueniri ad salutem: neque enim sola fides

fides sufficit ei, cui suppetit tempus & modus opera bona exercendi, non satis est capere. CHRISTVM mente & intelligentia, sed opus est quoque eum apprehendere manibus, quibus opera designantur.

9. Christus in praesentatione sua voluit institui oblationem more pauperum, hoc est offerri par columbarum. Semper in actionibus suis Dominus se demisit, & humiliavit, volens haberi minor & vilior, quam erat, ad pudefaciendam procul dubio superbiam nostram: nos enim semper volumus extolli, & maiores haberi, quam reuera sumus.

10. Simeon & Anna quia frequentabant templum, meruerunt conspectu Salvatoris consolari. Res sancta est frequentare Ecclesias, in ijs enim sua dona & charismata Deus impertiri solet, & non in plateis, & vijs publicis, in quibus homines vagantur, & peccandi potius, quam bene agendi occasiones accipiunt.

11. Anna prophetissa erat in templo, seruiens Deo in castitate, continuis orationibus, & crebris ieiunijs: vnde & promeruit filium Dei videre & agnoscere. Non patefacit arcana sua & mysteria, nec cale-

stes

B. VIRGINE. 219

stes consolationes communicat DEVS ho-  
minibus mundanis & carnalibus, sed ijs  
qui virtute sua pravas carnis inclinatio-  
nes vincunt, & continuum cum amore  
proprio bellum gerunt, sicut Propheta sig-  
nificavit illis verbis, Quem docebit sci- *Esa. 28.*  
entiam, & intelligere faciet audi-  
tum? ab lactatos à lacte, auulsos ab  
vberibus, hoc est illos, qui se totos sub-  
trahunt ab omnibus mundi delitijs & il-  
lecebris, carnem mortificant, & in san-  
ctis diuini cultus exercitijs  
se se occupant.  
(. .)

K D E

